



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

II. De episcopis a Rufino & Minicio in alienis ecclesiis contra Canones ordinatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

eunte doctrina in unitatem catholicæ fidei omnes qui dispersi sunt congregentur, & esse inexpugnabile vnum corpus incipiat, quod si separetur in partes, ad omnes patet lacerationis iniurias, & ex se sepe pestem patietur internam, quando secum compago ipsa confligit. Sed hæc generaliter de unitatis reformatione omnes, tamquam singulis scripta sint, accipient sacerdotes. Dehinc in partes animum super omnibus dilectio vestra quæ proponentur intendat.

II.

Non enim latere potuit, quod Rufinus atque Minicius episcopi in alienis ecclesiis, contra Nicænos Canones, episcopos usurpauerunt ordinare. Hæc ne quis sibi audeat vendicare, saltem nunc a nobis est salubriter prouidendum, ne improba usurpatione dissimulatio in deteriorius conualescat, & fiat de consuetudine regula, quæ non veniat ab ipsa quæ literis mandata est disciplina. Quia in re Hilari fratri & consacerdotis nostri querela primitus audiatur, qui asseruit Rufinum contra ecclesiarum pacem omni oppugnatione fuisse versatum, & dudum in Concilio Toletano erroris sui veniam postulasse, & nunc, cum metropolitano episcopo ordinandi sacerdotis pontificium deberetur, contra populi voluntatem, & disciplinæ rationem, episcopum locis abditis ordinasse, ecclesiæ scandalis miscuisse. Dehinc Tarragonensium episcoporum est causa tractanda, qui pari modo Minicum in Gerundensi ecclesia episcopum ordinasse conquesisti sunt; & iuxta Nicænos Canones ferenda est de tali usurpatione sententia. Illorum etiam episcoporum, qui a Rufino vel a Minicio contra regulas ordinati sunt, habeatur plena discussio; ut quia perperam facti sunt, intelligent id quod vitioso initio adepti sunt se diutius obtinere non posse.

III.

⁶ De Ioanne quoque episcopo, cuius in Synodo Toletana super receptis Symphosio atque Dictinio per legatos consensus accessit, & cui probabilis visa illa correccio, examinentur quæ postea sunt secuta; & prorsus super omnibus, quorum in dubium venit de cessatione communio, plena inquisitio vestigetur: ut secundum